

Heinrich Rudolph Redecker

**Heinricus Rudolphus Redeker/ Iur. D. P. P. & p. t. Amplissimae Facultatis iuridicae Decanus Suo & Ampliss. Facultatis nomine Ad Disputationem Inauguralem Quam De Securitate Reorum, Seu Salvo Conductu ... Dn. David Matthaeus Schütze/ Gustrov. Mechlenb. In Auditorio maiori XIII. Martii ... publico examini submissurus est ... officiose invitat : [Dabam sub sigill. Facult. 11. d. Mart. Anno 1662.]**

Rostochii: Kilius, [1662]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735212074>

Druck Freier  Zugang



Lichtheit der füngel  
freies Gelaüt


R U jun. 1662.

Stinnik Rudolf Redeker, Pries. 16

David Mannicus Schübe, Resp.

mit Progr.







HEINRICUS RU-  
DOLPHUS *Rederer* /sur. D.

P. P. & p. t. Amplissimæ Fa-  
cultatis juridicæ Decanus  
Suo & Amplifs. Facultatis nomine

*Ad*  
Disputationem Inauguralem,

*Quam*  
*De*

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

SECURITA-  
TE REORUM, SEU  
SALVO CONDUCTU

*Clarissimus U. J. Candidatus*  
DN. DAVID MATTHÆUS *Schügel*  
Gustrov. Mechlenb.

*In Auditorio majori XIII. Martii, pro consequendis summis in jure  
honoribus ac privilegiis, ante & post meridem publico  
examini submissurus est*

Magnificum Dn. Rectorem

Professores Excellentissimos, Consules Reipb. Urb. gravis-  
simos, Doctores ac Licentiatos amplissimos, Senatores pru-  
dentissimos, Ecclesiastas vigilantissimos, Magistros & Stu-  
diosos genere, virtute ac eruditione florentissimos, &  
deniq; omnes literatos & literarum Fautores, de-  
bita cum humanitate officiose invitat.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS K LIL, Acad. Typogr.

1662





I. N. D.



*N* dissolubile & vere adamantinum vinculum societatis civilis est, ut boni premiis ac mali pœnis afficiantur: quia hæc una ratio est qua cives in officio continentur, & status Reipb. conservatur. Nam si premia merentibus subtraherentur & pœna delinquentibus remitterentur, Illi ad virtutem negligentiores, Hi ad scelera audaciores redderentur. Inde Cicero quis ignorat, inquit, maximam illecebram peccandi esse impunitatis spem, Et Pulchre Gunth. facundissimus Germanorum Vates

plus sæpe nocet patientia Regis  
quam rigor; ille nocet paucis: hæc incitat omnes  
dum se ferre suos sperent impune, reatus.

*qua impunitatis spes uti facilius decollet, boni Principes semper Præsidi-  
bus Provinciarum, Toparchis & aliis Magistratibus severe commise-  
runt, hoc agere, ut sacrilegos, latrones, plagiarios & alios malefacto-  
res conquirerent, & prout quisq; deliquit in eum animadvertent, ut  
malis hominibus provincia purgetur & careat l. 3. §. fin. l. 13. ff. de off.  
Præl. Nov. 17. c. 2. Quoniã nulla gratior victima Deo potest offerri,  
quã si delinquentem promerita sequatur pœna. Ideò Augustinus quo-  
modo, dicit, Reges servient Domino in timore, nisi eã quæ  
contra jussu Domini fiunt, religiosa severitate prohibe-  
ant atq; plectant. Sed cum natura inter homines cognationem  
aliquam constituerit, casum adversamq; fortunã spectare liberi ho-  
minis, neq; civile neq; naturale est, adeoq; respiciendum judicanti, ut  
perpenso*



perpenſo iudicio prout res expoſtulat ſtatuat, utq; pronior ſit ad abſol-  
vendum quam condemnandum, neve ulla ratione deſenſio reo praſcin-  
datur, quippe cujus partes valde favorabiles ſunt. Et ſi res dubia ſit,  
Juſtius, inquit Modeſtinus Piſtoris, peccatur abſolvendo quam  
condemnando. Et Trajanus Romanorum Imperator Auguſtiſſi-  
mus religioſe maxime reſcripſit: Satiuſ eſſe impunitum relin-  
qui facinus nocentis, quam innocentem damnare. Cum  
de capite & ſanguine hominis præcipue Chriſtiani iudicare, difficile ſit  
& magni momenti res. Quod Romani etiam obſervarunt, quando  
poſt ejectos reges, conſtitutis duobus Conſulibus ſummum quidem Im-  
perii juſ lege publica tribuebant, non tamen ut poſſent in caput Civis  
Romani animadvertere Pomp. in l. 2. §. 16. de O. I. Et ipſe Impera-  
tor Nero cum adhuc Principis nomen mereretur, neque atrociffimis  
& nefandiſſimis ſcleribus ſe inquinaret, & Burrus Præfectus ejus  
abeo exegiffet, ut animadverſurus in duos latrones ſcriberet in quos  
& ex qua cauſa animadverti vellet, poſt longam moram & procrasti-  
nationem, cum optimus curialis optimo Principe dignus, ut aliquando  
ſubſcriptio fieret, inſtaret: Vellem, exclamavit, neſcire literas.  
Quam vocem dignam dicit Seneca, quam audirent omnes gentes! qua  
in concionem omnium mortalium mitteretur! in cujus verba Princi-  
pes Reges ve jurent, eamque publica generis humani innocentia,  
dignam exclamat l. 2. de clem. c. 1. Non enim Princeps eorumve Mi-  
niſtri cum letitia in pœnas & vindictam deſcendere, ſed provido conſi-  
lio & lento gradu in animadvertendos reos ſe ultore gladio ac-  
cingere debent, unde C. Caligula vitio datum eſt, quod natura fue-  
rit ſæva & probroſa, & quod animadverſionibus pœniſq; ad  
ſupplicium datorum cupidiffime interfuerit Svet. in Cal. c. II.  
Veſpaſiano autem laudi aſcribitur, quod non tantum cade cujuſpiam  
non fuerit letatus, ſed potius juſtis etiam ſuppliciis lachrymaverit &  
ingemuerit. Præprimis autem ſi publici boni ratio executionem pœne  
exegerit, non præcipitanter & cum inconfiderata celeritate ad ſuppli-  
cia bonus Magiſtratus debet proruere, ne innocentes ex ſuſpicionum fa-  
cilitate



cilitate obruantur, & ita innocentium sanguine, qui vindictam ex-  
poscit, terra maculetur. Quare Ammianus Marcell. l. 29. gravif-  
sime scribit: De vita & spiritu hominis qui pars mundi est, &  
numerum animantium complet, laturum sententiam diu  
multumq; cunctari oportet, nec præcipiti studio ubi irrevocabile factum est agitari. & Seneca l. 2. de Ira c. 23. potest pœna  
dilata exigi, non potest exacta revocari. Unde Imperator Theo-  
dosius cum ex rerum argumentis intellexisset, quã damnosæ essent præ-  
cipites pœnae, D. Ambrosio uti putatur suadente, sacratissimam tulit  
legem, ne ante trigesimum diem à sententia lata, ultimo supplicio rei  
afficerentur l. 20. C. de pœn. Cum itaq; apud omnes qui rectæ ratio-  
nis usu pollent in confesso sit, quod de salute & vita hominis sententiam  
ferenti cunctanter procedendum conveniat, quia nunquam satis tar-  
dum est quod omnium ultimum habetur: quantò magis illum cui  
de sanguine & salute hominis cognitio competit, decebit, omnibus mo-  
dis eò anniti, ne defensionis debitus præcludatur ordo, neve is qui ad  
deducendam innocentiam se offert, opprimatur, vel periculorum metu  
circumseptus impediatur. Quare leges maxime solliciti sem-  
per fuerunt, ut liberrima potestas defendendi reis indulgeretur, nam  
ubi periculum majus intenditur, ibi caute, provide, & circumspecte  
est agendum. Inter præcipua autem licitæ defensionis fundamenta,  
& præsidia haud minimum est, si quis propter injustam incarcerationem  
quam de facto non immerito metuit, securitatem judicalem,  
quam communiter salvum conductum vocamus, impetret: Uti enim  
notorie criminofum absolvere vel ipsi connivere, nihil aliud est, quam  
peccatis ac delictis viam patefacere, ita illum qui fiducia innocentie  
fretus se sistere cupit, securitate contra factum injustum privare, est  
defensionis telam abrumpere. Uti enim voluntas facta distinguit,  
spontaneum ab invito, dolosum à necessario, & culposum à fortuito se-  
parat: ita minima sæpe circumstantia infallibile præstat innocentie  
tutamen & juris munimen. Non enim adeo ipsum delictum quam  
delinquentis animus & propositum, pœnae causam præbet. Delin-  
quunt



quunt autem dicit JureConsultus Marcianus, quem vulgata lectio Marcellum putat, aut proposito, aut impetu, aut casu; quapropter antequam constiterit an consulto sit delictum commissum, facilis esse debet Judex concedendo saluum conductum, ne morosa severitate gravior lege videatur. Cum itaq; hæc securitatis materia usu sit frequentissima, & utilitatis plena, Clarissimus Dominus DAVID MATTHÆUS Schus Juris Candidatus eximius, affinis meus honoratissimus, eam ex probatissimis Jctis provide collectam & quatenus in rerum experimentis obtinet, adeoq; vel jure introducta vel stylo curiæ approbata est, enucleatam, loco disputationis in auguralis pro consequendis summis in jure honoribus ac privilegiis publice exhibere constituit, ut luci publicæ exponat quas in jure laudatos fecit progressus. Talem enim ab ineunte ætate in moribus & studiis se præbuit, ut jam dudum ad capeffendam illam dignitatem se dignum reddiderit, quam tamen modestiæ studiosissimus hæctenus sibi tutore conditam non tam ambivit quam meruit. Natus autem est die Petri & Pauli qui erat 10. Jun. An. Christi 1630. in principali sede Mecklenburgica quæ Gustrovii est. Patrem habuit Virum Amplissimum & omni integritate morum ac fidei Spectatissimum Dominum DAVIDEM Schus/ Serenissimorum ac Celsissimorum Principum ac Dominorum Dn. JOHANNIS ALBERTI glorios. mem. & Dni. GUSTAPHI ADOPHI Ducum Mechleburgicorum, Principum Vetustæ Gentis Henetæ, Sverini ac Ratzeburgi, ut & Comitum Sverinensium, Terrarum Rostochii & Stargardiæ Dynastarum, Dominorum nostrorum clementissimorum & Academiæ hujus Patronorum munificentissimorum, Quæstorē Provincialē fidelissimum & Præfectū Svanensem supremū, qui Anno 1650. fatis concessit; Matrem vero fœminam omni virtutum fœminearum genere præclaram SOPHIAM Arnimbs jocrum meam honoratissimam. Cumq; Reipb. Christiana esset originarias, solliciti parentes primam curam dederunt ut per sacrum baptismam in civitatem Dei cooptaretur, & olim bonus civis vitam Deo placentem viveret. Quo factō, Parentes impensissi-

)3(

me cura-



me curarunt ut non tantum primam infantiam, sed etiam reliquum  
vitae curriculum in gloriam Dei, Patriae emolumentum, suorum hono-  
rem & proprium commodum cum laude transigeret. In prima itaq;  
infantia cum sari inciperet, parentū provida inspectione nullas alias  
voces imbibere debuit, quam quae bona indolis homini conveniunt,  
quoniam ut plurimum ex prima illa aetate reliquum vitae spatium for-  
matur. Infantiam cum egressus esset, praeter parentum inspectionem  
cura & informationi bonorum praceptorum commissus est, ut prima,  
morum, pietatis & eruditionis fundamenta poneret, & ad rectum sin-  
geretur, neve tantum inter privatos parietes verum etiam in publicis  
Scholis, quae tunc temporis in patria bene compositae erant, ipsa rudi-  
menta hausit. Ipsam itaq; pueritiam, quam etiam pupillarem aeta-  
tem DD. vocant ita adornavit, ut parentibus dilectissimis indubiam  
spem faceret exoptati successus. Itaq; ipsos pubertatis annos ingres-  
sus, majora etiam eruditionis specimina edidit, illisq; parentes avidos  
maxime exhilaravit, & uberiores suppeditavit fiduciam, ne quicquam  
quod ejus studiis promovendis conveniens videretur, negligenter.  
Cumq; in omni humaniori literatura bene esset eruditus, Anno 1649. in  
hanc patriae Universitatem ablegatus est, ne videretur patrios repu-  
diare mores, & veluti fieri assolet, propriis aliena praeferre. In quam  
non imparatus & in plumis advolavit, uti in plurimis cum dolore con-  
spicimus, sed talibus principiis imbutus, quae majoribus ausis abunde suf-  
ficerent. Substitit autem in hac Academia per triennium, quo tem-  
pore sciens nihil agendo rectè ad omne vitium prolabi, non uti fucus  
ad praesepe stabat, neq; damnatum terebat otium, neq; cum tenebrioni-  
bus, qui ideo lucem fugiunt quo eo impensus vagæ libidini possent in-  
dulgere, in suspectissimis latitabat cuniculis, sed Excellentissimorum  
Professorum conversatione perpetuo utebatur, cumq; meæ inspectioni  
specialiter esset commendatus, privatim etiam illa praestabat quae in-  
genuum studiosum efficiunt celebrem. Adeoq; tam in publicis quam  
privatis lectionibus ac disputationibus se saepius modo disputatorem  
eximium, modo auditorem optimum stitit, nihilq; tam arduum credi-  
dit quo



dit, quo non penetraret studiosa animi vis. Ut autem aliquod bene fundata eruditionis Symbolum ante discessum ederet Disputationem Politicam de Principiis constituentibus & conservantibus Rempb. docte elaboratam sub Praesidio Viri Amplissimi & Clarissimi Dn. M. CHRISTIANI ARNDII Logices PP. p. m. doctorum examini in Auditorio Majori publice submitit & mascule cum laudabili auditorum applausus defendit. Postea cupiditate discendi majorem in modum incensus, ut etiam exteris innotesceret, & suam in studiis promittitudinem Viris doctis explicaret, & ex illorum erudita conversatione compendium faceret, in celeberrimas Germaniae Academias se contulit, & cum Giesensem, Marpurgensem & Heidelbergensem perlustrasset, ad Illustre bonarum artium emporium quod Tubingæ est venit, ubi propter loci convenientiam & Dnn. Professorum celebritatem ad triennium præter propter commoratus est. Et cum propter ingenuam probitatem & præclara studia ibidem in gratiam & familiaritatem Excellent. Dnn. Professorum esset admissus & auditor extitisset in defessus, non sine magno studiorum suorum augmento inde discessit. Majori enim æstro peregrinandi percitus, ut aliarum gentium mores, quorum cognitio multum vita politica conducit, introspiceret, per Argentoratensem & Basileensem Academiã in Galliã ivit, cumq; ibi per aliquod temporis curriculum substitisset, Bataavorum celebriores Urbes in ornamentum totius orbis elegantissime constructas circumspicere admiratus est, & præprimis Academias, ut & inde thesaurum suæ eruditionis locupletaret, inuisit. Cum autem Anno 1655. in me, ad hanc meam Professionem ex peregrinatione vocatum, Hamburgi ex improvise incidisset, veterem amicum in hanc Universitatem comitatus iterum per biennium meo usus est hospitio; magisq; ex illo tempore delectatus est libertate ingenuæ eruditionis, quam ut certum vita genus eligeret. Postquam vero ante aliquot septimanas nomen suum, ut summos in jure honores, quos dudum promeruit, consequeretur mihi p. t. Decano professus est, illum Amplissima Facultatis ex animi pro more nuper stiti, in quo talem se exhibuit, qualem quisq; futurum credidit.



*credidit. Ut itaq; publicè etiam testaretur quantos in jure fecerit progressus, disputationem hanc de Securitate Reorum seu Salvo Conductu doctè conscriptam. d. XIII. Martii publico ex animi submittere constituit, ut majori cum laude ac dignitate honores brevi conferendos meruisse publico suffragio approbaretur. Quare Magnificum Dominum Rectorem, Dnn. Professores excellentissimos, Consules Reipubl. Urbicæ gravissimos, Doctores ac Licentiatos omnium Facultatum amplissimos, Senatores, prudentissimos, Ecclesiastas fidelissimos, Magistros philosophiæ probatissimos, Studiosos virtute ac genere florentissimos, deniq; omnes literatos & literarū fautores eximios, officiose & amanter invito rogoq; ut velint honorifica sua presentia actum hunc solennem augustiorem reddere, Clarissimum Dominum Candidatum exercere ac disputantibus faventes aures præbere. Hoc officii genus uti in Ampliſſimæ Facultatis beneplacitum & laudem, in Domini Candidati gloriam, Reipb. literaria salutem & in totius hujus inauguralis actus supplementum redundat, ita omnes ac singuli beneficii accepti memores, de legitimo redboſtimento erimus solliciti.*


Dabam sub sigill. Facult. II. d. MART.  
Anno 1662.













dit, quo non penetret studiosa animi vis.  
 data eruditionis Symbolum ante discessu  
 Politicam de Principiis constituen  
 Rempb. docte elaboratam sub Praesidio  
 fimi Dn. M. CHRISTIANI ARNDII  
 examini in Auditorio Majori publice su  
 bili auditorum applausus defendit. Post  
 rem in modum incensus, ut etiam exteris  
 diis promittitudinem Viris doctis explicar  
 versatione compendium faceret, in cele  
 mias se contulit, & cum Giesensem, Mar  
 sem perlustrasset, ad Illustre bonarum ar  
 ga est venit, ubi propter loci convenient  
 lebritatem ad triennium prater propter  
 propter ingenuam probitatem & pracla  
 & familiaritatem Excellent: Dnn. Profes  
 sor extitisset in defessus, non sine magno  
 inde discessit. Majori enim aestro per  
 rum gentium mores, quorū cognitio mult  
 spiceret, per Argentoratensem & Basilee  
 cumq; ibi per aliquod temporis curricul  
 celebriores Urbes in ornamentum totius  
 etas circumspicte admiratus est, & pra  
 thesaurum sua eruditionis locupletaret,  
 me, ad hanc meā Professionē ex peregrin  
 improvise incidisset, veterē amicū in h  
 iterum per biennium meo usus est ho  
 pore delectatus est libertate ingenua eri  
 genus eligeret. Postquam vero ante ali  
 ut summos in jure honores, quos dudum  
 mihi p. t. Decano professus est, illum An  
 pro more nuper stiti, in quo talem se ex

aliquid bene fun  
 iputationem  
 onservantibus  
 fimi & Clarif  
 . p. m. doctorū  
 cule cum lauda  
 discendi majo  
 & suam in stu  
 um erudita con  
 rmania Acade  
 Heidelbergens  
 um quod Tubin  
 Professorum ce  
 est. Et cum  
 lem in gratiam  
 amissus & audi  
 orum augmento  
 rcitus, ut alia  
 conducit, intro  
 iā in Galliā ivit,  
 t, Bataavorum  
 tissime constru  
 mias, ut & inde  
 utē Anno 1655. in  
 m, Hamburgi ex  
 tatem comitatus  
 & ex illo tem  
 m ut certum vita  
 as nomen suum,  
 , consequeretur  
 ultatis ex animi  
 m quisq; futurum  
 credidit.

